Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Selectae E Profanis Scriptoribvs Historiae

Heuzet, Jean

Lipsiae, MDCCLVIIII.

VD18 12897531

Capvt XXXI.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17417

Visual Library

ro curandum, vt eos, quibuscum sermonem conferimus, et vereri, et diligere videamur.

Cic. l. c. 37. Habentur plerumque sermones, aut de domesticis negotiis, aut de republica, aut de artium studiis atque doctrina. Danda igitur opera est, vt, etiamsi aberrare ad alia coeperit, ad haec reuocetur oratio; sed vtcunque aderunt res. Neque enim omnes iisdem de rebus, nec omni tempore, nec similiter delectamur.

Epict. c. 55 Periculosum est etiam ad orationis obscoenitatem progredi. Quum igitur tale quippiam inciderit: aut si feret opportunitas, obiurgabis eum, qui sermonem illum iniecerit; aut taciturnitate saltem, et rubore vultuque ostendes, eam orationem tibi displicuisse.

CAPVT XXXI.

Adolescentium ludis intersint maiores natu.

Seneca de Tranq. c. 15. 1. Nec in eadem intentione semper retinenda mens, sed ad (lusus et) iocos reuocanda. Cum pueris Socrates ludere non erubescebat. Agesilaus vero arundini insidens equitabat cum filio puero: et quum quidam risisset: *Nunc*, inquit, *tace: quum vero et ipse pater euaseris, tunc patribus con-*

Aelian. l. 12. *c.* 15.

Sueton. in Aug. c. 83. *filium dabis.* Caesar Augustus, animi laxandi caussa, modo piscabatur hamo, modo talis, aut ocellatis nucibusque ludebat cum pueris minutis, quos facie et garrulitate amabiles vndique conquirebat, praecipue Mauros et Syros. Domitianus inter initia prin-

Id. in Domit. c. 3.

principatus quotidie ſecretum ſibi horarium ſumere ſolebat, nec quidquam amplius, quam muſcas captare, ac ſtilo praeacuto configere: vt cuidam interroganti, eſſetne quis intus cum Caeſare, non abſurde reſponſum ſit a Vibio Criſpo: *Ne muſca quidem.*

Laelium ferunt ſemper fere cum Scipione ſolitum ruſticari, eosque incredibiliter repueraſcere eſſe ſolitos, quum rus ex vrbe, tanquam e vinculis euolauiſſent. Non audeo dicere de talibus viris, ſed tamen ita ſolet narrare Scaeuola, conchas eos, et vmbilicos ad Caietam, et ad Laurentum legere conſueſſe, et ad omnem animi remiſſionem ludumque deſcendere. Sic enim ſe res habet, vt, quemadmodum volucres videmus procreationis, atque vtilitatis ſuae cauſſa fingere et conſtruere nidos, easdem autem, quum aliquid effecerint, leuandi laboris ſui cauſſa, paſſim ac libere ſolutas opere volitare: ſic noſtri animi forenſibus negotiis, atque vrbano opere defeſſi, geſtiunt, ac volitare cupiunt, vacui cura atque labore. *Cicero 2. de Orat. c. 6.*

2. Amaſim, Aegyptiorum regem, quum admonerent amici, eum parum e regia dignitate facere, quod inter epulas iocaretur: *Qui*, inquit, *arcum habent, eum, quum eſt opus, intendunt, mox remittunt: ſi enim perpetuo intentus ſit, frangatur neceſſe eſt, ita vt eo amplius vti non poſſint. Eadem eſt hominis ratio. Si adſidue ſeria tractare, et nihil ſibi ad luſum indulgere velit: ſenſim membris aut animo captus fiet.* *Herodot. l. 2.*

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus *Phaedr. l. 3. fab. 14.*

Aeſo-

Aesopum nucibus quum vidisset, restitit,
Et quasi delirum risit. Quod sensit simul
Derisor potius, quam deridendus senex;
Arcum retensum posuit in media via:
Heus, inquit, *sapiens, expedi, quid fecerim.*
Concurrit populus: ille se torquet diu,
Nec quaestionis positae caussam intelligit;
Nouissime succumbit. Tum victor Sophus:
Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris:
At si laxaris, quum voles, erit vtilis.
Sic lusus animo debent aliquando dari.
Ad cogitandum melior vt redeat tibi.

Seneca de Tranq. c. 15. Danda est remissio animis; meliores acriores que requieti surgent. Vt fertilibus agris non est imperandum: cito enim exhauriet illos nunquam intermissa foecunditas; ita animorum impetus adsiduus labor frangit.

ibid. 3. Vires recipient paullum resoluti, et remissi. Nascitur ex adsiduitate laborum, animorum hebetatio quaedam, et languor: nec ad hoc tanta hominum cupiditas tenderet, nisi naturalem quandam voluptatem haberes lusus iocusque: quorum frequens vsus, omne animis pondus, omnemque vim eripiet. Nam et somnus refectioni (corporis) necessarius est: hunc tamen si per diem noctemque continues, mors erit. Multum interest, remittas aliquid, an soluas. (Itaque tantum) indulgendum est animo, dandumque subinde otium, quod alimenti ac virium loco sit.

Cicer. I. *Off. c.* 34. 4. Quum (adolescentes) relaxare animos, et dare se iucunditati volent, caueant intemperan-

perantiam, meminerint verecundiae, (sine qua nihil rectum esse potest, nihil honestum:) quod erit facilius, si eiusmodi quoque rebus maiores natu interesse velint: Ipsa quippe seniorum, sicut et magistratuum, praesentia ante oculos posita, verum pudorem et liberalem timorem animis solet infundere. *c. 41.* *Aristot. 7. polit. c. 12*

Prodest sine dubio, custodem sibi imposuisse, et habere, quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis iudices. Omnia enim nobis mala solitudo persuadet. Quum iam profeceris tantum, vt sit tibi etiam tui reuerentia, licebit dimittas paedagogum; interim te aliquorum auctoritate custodi. *Senec. Ep. 25.*

Verba quis auderet coram sene digna rubore
Dicere? *Ouid. 5. fastor. v. 69.*

Hinc Persae, qui in liberorum institutione plurimum studii ac diligentiae ponebant, lectos e senioribus viros iis praeficiebant: et Lacedaemonii omnibus suorum ludis maiores natu volebant interesse. *Xenoph. Cyr. l. 1. Plut. in Lycurg. Tom. I. p. 51.*

Caput XXXII.

In ludo ac ioco modus retinendus.

1. Interrogatus Socrates, quaenam iuuenum virtus esset, respondit: *Ne quid nimis.* *Diog. Laert. in Socr. segm. 32.*

Ludendi est quidam modus retinendus, vt ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. *Cic. 1 Off. c. 29. etc.*

Appetitus omnes contrahendi sedandique sunt, excitanda animaduersio et diligentia *ibid.*